


Johann Hermann Zschorn


Dissertatio Inavgvralis Theologica De Angelis Qvorvm Cavsa Femina ... Habere Ivbetur Ab Apostolo I Cor. XI. commate 10.

Rintellii: Typis loh. Godof. Enax, [1751?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862445876>

Druck Freier  Zugang





1107

A. B.

48.6.8.

20.

Fa-1092 (20.)

2. 4.

3.

22

4.

5.

0.

1.

2.

7.

21


4.

7.

3.

0.

4.



DISSERTATIO INAUGVRALIS THEOLOGICA

DE

ANGELIS

QVORVM CAUSA FEMINA

ἐξουσίαν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς

HABERE IVBETVR AB APOSTOLO

1 Cor. XI. commate 10.

QVAM

DEO AVSPICE

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDERICO

HASSIAE LANDGRAVIO RELIQVA

CVM A VENERANDO

THEOLOGORVM ORDINE

IN ACADEMIA ERNESTINA

GRADVM DOCTORALEM

D. XIX. MART. A. R. S. c1010ccLI.

IMPETRARET

PVBlicAE LVCI EXPOSVIT

IO. HERM. ZSCHORN

VERBI DIVINI APVD CELLENSES MINISTER.

RINTELII TYPIS IOH. GODOF. ENAX A. T.

DISSERTATIO IN VERTICIS THEOLOGICA

AN G E L I S

Q U O R U M C A U S A F E M I N A

H A B E R E I N V E T R A S A P O S T O L O

RECTORI ACADEMIARUM MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO ELECTORI AC DOMINO

DR. FRIDERICO

THEOLOGICUM ORDINE
GRADUM DOCTORALEM

IO. HERM. ZSCHORN

VERI DIVINI AULAE CANTORIS MASTRI

AVCTORIS AUCTORIS AUCTORIS



באלהים

§. I.



non vna esse sacri codicis loca, ex quorum difficultatibus, quibus obsepta sunt, expedire se posse pene desperarunt interpretes, nemini facile eorum, qui scripta ipso-

rum assidua subinde manu voluerunt, ignotum esse potest.

§. II.

Posssem equidem, si instituti ratio permitteret, longum istius commatis locorum catalogum contexere, iisque aslerti mei veritatem corroborare; at, cum breuiori, id vt obtineam, via fieri posse, plane mihi persuasum habeam, Paulinum saltem illud, quod priori ad Corinth. capite XI. commate 10. legitur, excitasse, et

A 2

simul

2

2

31.

3

33

3

simul sub examen vocasse, suffecerit. Verba
 Apostoli in fonte ita habent: *Διὰ τῆτο οφείλει ἡ γυνή
 ἑξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, διὰ τὰς ἀγγέλους.*

§. III.

Atque id quidem tale est, in quo, saltim
 quoad aliquam eius partem, enucleando, quic-
 quid est in me virium, periclitari, apud ani-
 mum meum constitutum habeo. Neque et-
 iam temere quisquam fuerit, qui ignoret, quan-
 topere haec diui Apostoli verba nullo non tem-
 pore exercuerint interpretum ingenia. Ho-
 rum tamen nullus, quantum quidem ego iu-
 dicare valeo, mentem Viri Θεοπνεύστου ita assecu-
 tus mihi videtur, vt dubitandi et dubiorum
 funiculos nectendi ansa omnis praecisa omni-
 no dicenda sit.

§. IV.

Imo non defuerunt inter eruditos, qui,
 recte annotante celeberrimo quondam Philo-
 logorum principe, IO. CHRISTOPHORO WOLFIO
 in *Curis philol. et crit.* ad h. l. p. 472. verba haec
 tanta laborare obscuritate crediderunt, vt ab
 iis explicandis abstinere, quam vel minimum
 ad

ad ea explicanda monere, maluerint. Certe IOANNES LOCKIUS, quem modo laudatus WOLFIUS in subsidium eius, quod paulo ante dixerat, recte vocat, in commentario suo, se verborum horum sensum intelligendo non assequi, aperte fateri minus dubitavit.

§. V.

Neque egomet ipse, si dicendum, quod res est, prorsus dissimularim, eandem mihi olim circa hoc diui apostoli effatum sedisse sententiam, vt eum, qui explicare illud, et ita explicare praesumerit, vt nihil amplius dubii supersit, frustra laborare, augurio forte non vano, si non reipsa, praedixerim, saltem apud animum meum semper reputauerim.

§. VI.

At meliora postea edoctus aliter sentire coepi. Nimirum incideram forte in *Animadversiones philologicas et criticas, ad varia sacri codicis vtriusque foederis loca illustranda*, a summe reuerendo, D. IO. DIETERICO WINCKLERO, Hildesiensium Superattendente celeberrimo, publici

2

2

31.

3

33

3

publici iuris factas, atque adeo cum erudito orbe larga satis manu communicatas, earumque partem primam. Dignus mihi is, ut primum has Ipsius lucubrationes perlustrare datum fuerat, omnino videbatur, in cuius laudes mecum excurrerent omnes, quotquot bonas literas amant, iisque iustum statuere premium didicerunt. Et, si a reliquis omnibus discessero, vel solo hoc nomine praedicari omnino meretur, quod tandem dictis Apostoli verbis, quorum sensus hucdum in tenebris quasi sepultus iacuit, non sine prolixo eruditionis adparatu, tantum adfuderit luminis, ut, eo doctore et ductore praeunte et facem praeferente, clara, perspicua, et in solis quasi disco posita omnia mihi visa fuisset, et sic tandem aliquid eius, in quo titubans animus tuto acquiescere queat, reperisset, ingenue fateri me oporteat. Habeo proinde, et abunde satis habere puto, unde Viro docto aequae ac mihi gratuler de tam felici ingenii foetu, variis aliorum ex interpretamentis, collatis inter se inuicem, nato; quem prae reliquis omnibus, quod tamen praefiscine dixerim, ut



vt primum in conspectum meum venit, non sine tenerrimo voluptatis sensu exosculatus sum.

§. VII.

Nolo in praesenti longa verborum serie repetere, quae, dicto iam loco, de ratione efatum hoc apostolicum, in quo cardo rei nunc vertitur, et quodlibet vocabulum in eo obuium, commode explicandi, prolixè diseruit Vir celeberrimus. Id solummodo adnotasse iuuabit, verba, vt sunt ab ipso explicata, facillima et spontanea ratione pag. 14. ita fluere: *Propterea oportet uxorem habere suam* (siue aliquam sibi etiam competentem quidem) *potestatem*, siue *dignitatem*, *sub capite suo*, id est, marito (siue quod eodem redit, non aliam habere potestatem, quam quae maritali potestati subordinata, vel sub maritali ab ipsa exerceatur) *διὰ τὰς ἀγγελίας.*

§. VIII.

Hactenus bene, vel, si mauis, optime habent omnia, nec est, in quo vel minimum, meo quidem iudicio, desiderari iure possit.
Quam

Quam bene autem ista cohaereant, lectori
 vt constet, haut abs re, imo operae pretium
 fuerit, verba doctissimi Viri, quibus interpre-
 tamenti sui veritatem, *συναφεία* textus in subsi-
 idium vocata, firmare satagit, adscribere, " Si
 " ergo, inquit, quod ad rem attinet, meam
 " exponere sententiam licebit, haut interrup-
 " to ordine videtur mihi apostolus Paulus v.
 " 10. pergere in eodem tractando argumento,
 " de quo v. 8. et 9. egerat, mariti scilicet prae
 " vxore praestantia inculcanda. Postquam e-
 " nim v. 8. et 9. rationem commemorauerat
 " sat praegnantem, magna adeo cur prae v-
 " xore maritus auctoritare siue dignitate pol-
 " leat, consuetarium inde deducit v. 10. Et
 " paulo post: Duo, inquit, quae inculcathic
 " apostolus, momenta. *α*) aliquam vtique com-
 " petere vxoribus potestatem siue dignitatem;
 " *β*) maritali potestati subordinatam istam es-
 " se, et agnosci ab vxoribus debere marito-
 " rum praecminentiam. At amicissime simul
 " cohaerent secundum hanc interpretationem,
 " verba commatis decimi cum sequentibus
 " commatis vndecimi et duodecimi. Nimi-
 rum

rum hac maritis prae vxoribus tributa prae-
 rogatiua atque excellentia, ne contra crea-
 toris voluntatem abuteretur imprudens qui-
 dam ac iniurius maritus, limites illius viro-
 rum prae feminis praeeminentiae Paulus sta-
 tim sequentibus duobus, vndecimo ac duo-
 decimo, commatibus addit, probe memo-
 res maritos esse iubens, quod vterque, et vir
 et femina, eadem prorsus gaudeat in regno
 gratiae dignitate, v. II. imo vxorum non exi-
 lia sint in maritos, siue masculinum homi-
 num genus, merita.

§. IX.

Haecenus bene, inquam, habent omnia,
 et scopo, quem heic sibi praefixum habet A-
 postolus, et cohaerentiae verborum, quae vel
 praecedunt, vel sequuntur, quam maxime con-
 sentanea. In textu vero, quae sequuntur,
 verba: *διὰ τὰς ἀγγέλους* tantum forte caliginis ha-
 bere, Viro docto visa sunt, vt certi quid ea in re
 definire vix a se impetrare, aut, vbi pedem secu-
 rus, dubiisque omnibus liberatus, figeret, inue-
 nire minus licuerit.

B §. X.

2
2
31
33
3

§. X.

Et hoc illud ipsum est, de quo, quid sentiam, quaeue de eo, cogitationes animum meum subierint, aperire lectori beneuolo, eiusque iudicio submittere, constitui. Tanto aequiorum autem in eo me iudicem habiturum confido magis, quam spero, quo certius persuasum mihi est, nihil, quod in analogiam fidei impingat, si vel maxime rem acu, quod aiunt, non tetigero, in medium a me productum iri. In toto sane hoc negotio ab omni eo, haec qui legerit, quodam quasi iure postulare me posse videor, ut mihi saltem, perinde ac aliis ante me, liberum sit mentis meae cogitata, quae circa hoc comma explanandum occupato, suborta sunt, exponere. Idque ut eo facilius impetrare liceat, praestat omnino Viri celeberrimi IOANNIS HENRICI a SEELEN, a summe reverendo D. WINCKLERO p. 19. l. c. laudati verba, quae in *Meditationibus ipsius exegeticis P. I. pag. 655.* leguntur, adduxisse. Ita enim ille: *Maxima, inquit, fateor, circa angelos hic est difficultas. Per me suo quisque in loco difficili abundet sensu, dummodo nihil afferatur in medium, quod analogiae fidei sit contrarium.*

§. XI.

II

§. XI.

Ante vero quam de vero dicti huius sensu nobis liceat esse certis, euoluenda erit notio vocabuli τὸ ἀγγέλλειν, in quo quidem caput causae consistit, et ex cuius significato, si recte determinetur, dubiorum omnium, quae sacrarum literarum scrutatorum animos vexarunt, iisque crucem quasi fixerunt haecenus, solutionem pendere, nemo non videt.

§. XII.

Quotus autem quisque est, qui nesciat, vel usu saltem comprobatum non habeat, eam mentis nostrae esse indolem, ut, cum his istisve terminis, qui in se synonymantes sunt, eiusmodi non raro ideas, quae vni saltem synonymatorum, vel eorum, quibus synonymum idem nomen, et eandem essentiam aequaliter tribuit, combinare et consociare soleat.

§. XIII.

Atque id omnino etiam circa vocabulum τὸ ἀγγέλλειν saepenumero fieri solere, quis quaeso est, qui inficiari ausit? Hoc adeo certum est, ut

B 2


vix

2
2
31
3
3

vix quenquam inueniri non tam putem, quam firmissime credam, quin audito *angelorum* nomine, illico *πνεύματα* illa *λειτεργικά*, ceu a diuo Apostolo in epistola ad Hebraeos scripta c. I. v. 14. apellantur, mente concipiat, idque vel eam potissimum ob rationem, quia significatus iste ceteris est famosior, et in sacris pandectis ut plurimum obtinere deprehenditur.

§. XIV.

His praesuppositis, et quotidiana fere experientia fatis abunde, ut nulla ratione negari, vel in dubium vocari possint, firmatis, plane non est, quod miremur, pariter id quoque evenisse interpretibus pene plurimis, dum ad oraculi nostri sensum eruendum, et veritatem in eo delitescentem, velut e tenebris in lucem protrahendam, animum adplicuerunt, ut sub *angelorum νοήματι* de spiritibus illis coelestibus, in piorum ministerium a creatore ordinatis, statim cogitauerint. Imo nonnulli eorum eo usque prolapsi sunt, ut malos illos et infernales genios hic ab apostolo indigitatos sibi persuaferint. Ita fieri solet, quando sententiam aliquam



quam, vt certam et indubitato veram mens
 nostra semel adoptauit, vt nescio quae opinio-
 num portenta amplectatur potius et tueri co-
 netur, quam a semel concepta sententia dimo-
 veri se patiatur.

§. XV.

Haec promonenda erant, vt eo faciliior et
 expeditior hoc pacto ad mentem Apostoli scru-
 tandam et percipiendam pateret aditus. Boni
 interpretis esse, vt vbi vocabuli alicuius, quod
 pluribus aequae commune est, significatum de-
 terminare, et iustis quasi limitibus circumscri-
 bere satagit, generalem eius notionem ante
 omnia sollicite indaget, et hac indagata de ve-
 ra eius significatione, et cui vniuocatorum tri-
 bui illa commode possit, textu accurate in-
 spectro, antecedentibus et consequentibus rite
 inter se collatis, circumstantiis, intentione, sco-
 po et fine dicentis probe consideratis, aliisque
 exponendi alicuius textus mediis sedulo adhi-
 bitis, iudicet, nemo temere inficias iuerit.

§. XVI.

Hoc si circa verba quoque nostra obserues,
 nullus omnino dubito, fore, vt et illa facilem
 pla-

planum, perspicuum, cuius obuium, nec vllis difficultatibus impeditum fundant sensum. Nimirum, vocem $\tau\theta$ ἀγγέλῶν in se, et nulla ad verba textus nostri habito respectu, consideratam, generalem *nunciandi* notionem inuoluere, apud omnes in confesso est. X Vi huius autem notionis et Spiritus tam bonos, quam malos, et certos quosdam homines, quatenus in vno aliquo tertio, in ratione scilicet *nunciandi*, et *mandata* eius, a quo missi sunt, *exequendi* conueniunt, angelorum nomine recte venire, ipsum Spiritum Sanctum in Scripturis loquentem testem habemus omni exceptione maiorem.

§. XVII.

Ad Spiritus iam dictos primum quod attinet, illos hoc titulo in Scripturis passim insigniri, notius est, quam quod notissimum; nec temere quisquam fuerit, nisi vel Sadducaeus, angelos dari, omnino negans, Act. XXIII. 8. vel HERM. RYSWICK, citante D. CALOVIO in *System. theolog. Loc. de Angelis*, chorda oberrans eadem, vel THOMAS HOBBSIVS in libro *Leuiathan* inscripto c. 34. 38. 45. angelos non nisi phantasiam et somnia

somnia hominum esse somnians, vel alius quispiam e grege Fanaticorum, et inter eos praecipue DAVID IORIS, siue IOANNES a BRÜCKE, teste Edzardo Glaneo *in der Nothwehr für die Kindertauffe* pag. 20. diabolos hominis opiniones esse, garriens, quem in hoc mihi refragantem, aut contraria asserentem habeam.

§. XVIII.

Id potius in praesenti datum mihi esse credo, vt testimoniis fide dignis in medium prolati, euincam, non insolens esse, id nominis etiam certis quibusdam hominibus, rarius quidem, sed non omnino non attribui. Eos nunc taceo, qui ad comma nostrum commentati per *angelos nunc maritos*, pro concione dicentes, nunc *iuvenes et comtulos adolescentes*, nunc *homines sanctos et fideles*, nunc *Episcopos*, vel *Ecclēsiae doctores*, nunc *nuncios illos desponsationum*, qui Hebraeis *שליחין קרויין* dicuntur, nunc *speculatores et exploratores*, siue *emissarios*, vel ab ecclesia, vel a gentilibus ad explorandum Christianorum coetum ablegatos (de quibus B. WOLFIVM in *Curis philol. et crit.* ad h. l. plura, addita simul

simul tam sua, quam aliorum virorum eruditum epicrifi, differentem consuluisse non poenitebit) intelligendos esse contendunt.

§. XIX.

Vtut autem non vna sit ratio, quae, quominus huic vel illi virorum doctorum, ex iam recensitis, sententiae adstipulari queam, obstare videtur; id tamen inde, neutrum eorum, in vna vel altera harum sententiarum adoptanda, a nobis, quoad significatum vocis *angelorum*, hominibus aequae ac spiritibus competentem, dissentire, recte colligi posse censeo.

§. XX.

Sed dum probe perspicio, non omnino tutum satis fore in eo solo asserti nostri praesidium collocasse, aliunde illud demonstratum dandi, necessitatem impositam mihi video. Nolo autem in praesenti morosius vrgere, quod nonnulli doctissimorum, et perspicacis ingenii interpretum in vocabulo *ἀγγέλων* inuenisse sibi visi sunt, *ministros* scilicet, vel ecclesiae doctores illo designari arbitrati, quanquam valde adhuc dubitem

dubitem, an ista vocis acceptatio inter crebrius
 vsitatas referri mereatur. Neque enim conte-
 mnenda sunt, quae celeberrimus apud Hilde-
 sienses sacrorum antistes, D. WINCKLERVS recte
 monuit, se videlicet per vocem hanc, absolute
 et sine vlla facta vel ecclesiae mentione, vel alia
 addita restrictione vsurpatam in sacri codicis
 noui foederis libris (si a prophetico, Ioannea
 nimirum apocalypsi recesseris) *ministros* vel *ec-
 clesiae doctores* indicari, vix meminisse. At in
 eo tamen minime nobis contrarius est vir do-
 ctus, circa id tantummodo occupatus, vt cele-
 berrimi STOSCHII sententiam, per *angelos*, in no-
 stro praecipue commate, *sacerdotes*, vel *sacro-
 rum ministros* intelligentis, destrueret. Nobis
 vero nunc non est quaestio, an *ministri* vel *do-
 ctores* ecclesiae absolute, et sine vlla facta vel
 ecclesiae mentione, vel alia addita restrictione *an-
 gelorum* in sacris nomenclaturam gerant? Suffi-
 cit, illos ita interdum dici, manifesto indicio,
 nullo modo repugnare Scripturae, si hominibus,
 in certo quodam officii genere constitutis, pariter
 ac Spiritibus, nomen *angelorum*, sub generali no-
 tione accepta voce, commune esse asseramur.

C §. XXI.

2
2
31
3
3

§. XXI.

Sed e diuerticulo vt redeamus, et, quod res est, dicamus, quisquis haec legerit, monendus est, vocem ἀγγελος, nostro in loco a Paulo v-
furpatum; secundum iam commemoratum eius significatum generaliore, notare nobis id, quod *nuncius* latinis dicitur. Et haec ipsa vocis acceptio *Theophilo Alethaeo in der gründlichen Erleuterung der duncklen Oerter A. und N. T. XIV. Versuch*, pag. 272. tanta luce radiare visa est, vt in subiecta nota (g) scribere minus dubitauerit: *Vocem ἀγγελος ita reddi heic posse ac debere, si pluribus adstruere conarer, perinde facturuss essem, ac si quis studeat clarissimo soli mortale lumen inferre, atque vt est in paroemia vetere, ἡλίω τὸ φῶς δανείζειν.*

§. XXII.

Nec quisquam temere vitio mihi verterit, si verba, quae ad statuminandam suam sententiam e vestigio addit, mea faciam, idem illud, quod dicendum erat, insinuantia: *Quem enim, inquit, fugit, vocem hebraicam קהל exprimi tantum non semper ab LXX. Senibus. per ἀγγελος*

λος, angelus? Cum vero hebraicum מַלְאָכִים creberrime
 MEROS NVNCIOS, eosque ab hominibus ad id mis-
 sos, designet, verbi causa Gen. XXXII. v. 3. ubi
 Iacob ad Esauum מַלְאָכִים mittit, Graeci vertunt
 $\alpha\gamma\gamma\epsilon\lambda\omicron\varsigma$, conf. 2 Reg. VI. v. 32. 33. Ier. XXX. v. 4.
 Ezech. XVII. v. 15. Quid mirum si eodem quoque
 sensu Apostolus vocem eandem usurpat? Ita enim
 rarus in nouo foedere significatus iste non est, ut
 nullibi prorsum occurrat: euoluas modo Iacobi epi-
 stolam, ubi cap. II. v. 25. hominum nuncii $\alpha\gamma\gamma\epsilon\lambda\omicron\iota$
 expresse nominantur. Ex quo satis abunde, ni fal-
 lor, patet, vocem $\alpha\gamma\gamma\epsilon\lambda\omicron\iota$ in nostro quoque loco com-
 mode verti posse per NVNCIVM.

§. XXIII.

Haec, inquam, Alethaei verba mea qui-
 dem facio, at in tantum modo, in quantum
 vocem *angeli* in genere per *nuncium*, ratio-
 ne ad personas, quas nunciorum istorum no-
 mine paulo post speciatim ab Apostolo nota-
 tos credit, praecisa, reddendam esse suadent.
 Quando enim per illos id hominum genus, qui
 ceteris, qualis in Ecclesia Corinthiaca mos in
 publico coetu, qua viros, qua mulieres obti-
 neret, significabant, vult intellectos, dissen-



sum ab eo meum, qui qualis sit, et in quo consistat, ex paulo post dicendis patebit, non possum non aperte profiteri.

§. XXIV.

At eundem *angeli* significatum, quo per *nuncium* redditur, apud profanos quoque scriptores obtinere, et in usu esse, ut paucis significemus, haut abs re fuerit. Id vero, ut reliqua taceam, vel ex eo solo, quod HADRIANVS RELANDVS in *Dissertationum miscellanearum* parte altera, quae Traiecti ad Rhenum ex officina GVILIELMI BROEDERET anno 1707. prodiit, pag. 127. exhibet testimonio, facile patet. Postquam enim ille pag. 125. de vocabulo Persico *angari*, tabellarios isto nomine, qui obuios quoscunque, si iis indigerent, ad seruitium Regis cogere poterant, et ipsos illos nonnunquam, qui ad aliud opus adigebantur, veteribus Persis dictos fuisse; nec aliam huic sono et sensu affinem linguam Persicam agnoscere vocem, quam verbum *Agaliden*, quod, si pronuncietur, uti Malaei hodie afferant per NG, idem sit ac *Angalidem*, monuerat, pag. 127. sequentia addit: Quod si ab
hac

hac voce *Agaliden* Angaros deriuemus, facile animaduertemus *Angelos* ab eadem esse dictos, et ἄγγελος ab ἄγγαρος non multum differre. Cum enim Persæ nuncios eiusmodi inter primos habuerint, et *angari* ab iis, et *angeli* ab eodem verbo dicti sunt. Eisdem autem συνονόμας ita dictos fuisse, SVIDAS in Lex. agnoscit sub voce ἄγγαρος, ita scribens: ἔτιωσ ἐνάλλαν οἱ Περσαι τῆσ βασιλείον ἀγγέλσ. Et vtrumque nomen, ita pergit RELANDVS, ad alias gentes manauit, ita tamen, vt *angelorum* nomen, nescio quo fato, magis generale redditum fuerit, et *angarorum* pro solis Persarum nunciis, qui alias ad seruitium regis cogere consueuerant, vsurpatum. Certe R. BECHAI quoque vocem ἄγγελος, ἡσιν scribit esse Persarum.

§. XXV.

Licet autem haec omnia, quae magnus ille Philologus heic in medium protulit, pro mera coniectura habenda sint, atque adeo non nisi veri speciem prae se ferant; id tamen recte concludere inde licebit, vocabulum τῶν ἀγγέλων latius patere, quam vt solis spiritibus coelestibus, veliis saltem primario, tribui debeat, cum nec
illi,



illi, nec quos ante nominaui, certi eiusdem generis homines, hic analogatorum, sed synonymatorum, quae ex aequo, *ὡσαύτως καὶ παρίσως* de nomine et essentia synonymantis sui participant, rationem habeant.

§. XXVI.

His igitur praemissis, dispiciendum omnino erit, quo tandem sensu *angelorum* nomen nostro in commate et commode possit, et, ut ego quidem arbitror, necessario accipi debeat? Id vero ex orationis apostolicae serie diiudicatu facile erit. Loquitur nimirum Apostolus de potestate uxori sub capite suo, id est, marito competente, nullamque aliam ipsi, quam quae maritali subordinata sit, potestatem, vel dignitatem concedit. Dum autem statim subiungit: *διὰ τὰς ἀγγέλους*, *propter angelos*, vel ut etiam reddi posset, *per angelos*, obiectum omnino illius uxori competentis potestatis, vel eos, in quos, propter quos, et per quos exercere eam sibi liceat, designare mihi videtur. Hos autem si accurate textum respicias, si antecedentia et consequentia inter se conferas, si circumstantias, intentionem, scopum et finem scribentis consideres,

deres, si denique materiam substratam exacte ponderes, non poteris non, nisi textui vim inferre velis, vel nemine etiam monente, eas in mente formare cogitationes, vt percepto *angelorum*, vel, quod malim, *nunciorum* nomine, quos ad eius, cui subiecti sunt, exequenda iussa promptos atque paratos esse decet, illico eiusmodi in re familiari bene constituta personas, quarum est, obedire, et mandata heri heraque sub illius capite potestate in eas gaudentis, mandata effectui dare, hoc est, *seruos servasque*, vel, vt Germanis dicuntur, *Dienstbohten*, animo concipias. Atque hos tales per *angelos*, siue *nuncios* hoc ^{loco} ab Apostolo, verborum cohaerentia, et ipsa rei natura id suadente indigitari, his paucis, quantum quidem per temporis angustiam fieri potuit, demonstratum dare volui, publice testatus, meliora docenti cedere palmamque porrigere, nunquam non paratum me fore.

S. D. G.



2

2


31

3

3

... in dicitur in ista ...
... non potis non, nisi textu ...
... vel memine etiam ...
... cogitationes, ut ...
... quod ...
... cui ...
... paratos esse docet, ...
... bene constituta ...
... et mandata ...
... potestate in cas ...
... hoc est, ...
... ut Germanis ...
... Atque hoc ...
... hoc est ...
... id habent in ...
... quoniam quidem per ...
... demonstrantur da ...
... melior docent ce ...
... mandatum non


S. D. G.





Index.


1. Cripius de Christianis, Sale Terra. Matth. 7. 13.
2. Gotzi Disquisitio: num moribundus quarta petitione orationis dominica uti possit? ¹
3. Olearius de Methodo Christi in docendo a methodo Legislatorum plane diversa, ad Matth. VII. 29.
4. Lindheimer de Cogitationibus malis ex corde procedentibus, ad Matth. XV. 19. coll. Marco. VII. 21.
5. Heusingerus de Lois N. S. Matth. XVI. 13 & 20. Luc. VII. 47. Luc. 11. 18. in suspicionem ^(comphionis) super vocatis.
6. Georgius de gloria Christi exinaniti clarificatione: ad Matth. XVII. 1-9. (Luc. IX. 30. 31.)
7. Reusmann de Moïse resuscitato & tam corpore quam anima gloria consorti: ad ll. Matth. XVII. 3. Marc. IX. 4.)
* Strohmayer Pentas differentiarum Hebraicarum. (N. Per incisionem Bibliop. inserta est h. Diss. huius Tomo, & quidem media Diss. 7: post eius pag. 8. hanc habes, & ipsam foliis quibundam translocatis.) *
8. Heumannus Πενή Αγορόβων. Marc. VII. 22.
9. Hommelhoffus de Eusebio suo. Nat. Utrum divorcium iure permittat, nisi ob scelerationem, ex Matth. XIX. 9.
10. Rudolfus de Gravibus in lege à secta Pharisæica præteritis, ex Matth. XXIII. 23.
11. Fetter de inscriptione cuius Christi ex Matth. XXVII. 37. Marc. XV. 26. Luc. XXIII. 38. Joh. XIX. 19.
12. Pöckelmann de Mitioni sensu verborum Christi Marc. IV. 12. & Luc. VIII. 10.
Diss. Heumannii ad Marc. VII. 22. Vide superius N. 3.
13. Palmsen de Ignorantia Scriptura causa erratum. ad Marc. XII. 24. (Patrol. 1. 2. Diss. 1. Tom. 14.) (13-17.)
14. Scallius de Resurrectione Iesu Christi fidei Christiana fundamento: ad ll. Marc. XII. 1-8. Luc. XXIV.)
15. Georgius de Regis Christi officio non mundano. ad Luc. I. 26-38. & Joh. VI. 1-15.
16. — de Officio Prophetici primitiis quas Christo Σαδεδαετῆς edidit: ad Luc. II. 41-52.
17. Hübnerus de Apparitione Angeli Christum confortantis, Luc. XXII. 43. Spiritu S. nequam tri buenda.
18. Struokmann de Canone N. T. & divinis & perfectis, ex verbis Christi Luc. XXIV. 44.
19. Balthazarus Biga observationum symbolicarum ad Joh. I. 14.
20. Georgius de Abitu Iesu ad Patrem ejus, fructu, ad ll. Joh. XVI. 5-15 & 16-23.
21. Bucerus de Exitu Abrahami ex Haran, vivo, non mortuo, patre Tharah, ad Act. VII. 4.
22. a Seelen de Poetis, eorundemq. dictis in N. T. citatis, ad Act. XVII. 28. I. Cor. XV. 33. Tit. I. 12.
23. Richterius de Homine per mortem a peccatis justificato, ex Rom. VI. 7.
24. Gaffius: Num ex verbis Paulinis: Quis te discernit? (I. Cor. II. 7.) predestinatio absq. exculpi possit? ²
25. Volger Minister ecclesie omnibus omnia, ex I. Cor. IX. 22.
26. Lichorn de Angelis quorum causa femina ἐστὶν ἔτι ἡμεῖς κερὰ ἡμῶν habere iubet, I. Cor. XI. 10. (III. 18)
27. Monicus de Contemplatione glorie dei in relecta facie I. C. & fidelium in eandem imaginem μεταμορφώσεως, II. Cor.
28. Cyprianus de Servitute legis, Gal. IV. 18.
29. Milke de Impletionem legis Christi per portationem oneris alieni, Gal. VI. 2.
30. Miller de Lois Paulino Col. II. 13.
31. Handler de Archepiscopo & admonitione Pauli ad illum pertinente Coloss. IV. 17.
32. Walther de Vera Origine Pharisæorum: Videtur & Iustate mortem, ad Explic. ll. N. T. Matth. XVI. 28. Marc. IX. 4.
Luc. II. 26. IX. 27. Joh. VIII. 51. 52. Act. II. 9. XI. 5. col. 2. LXXXIX. 49 & Cj. XXV. 8. (Incompleta est Dissertio)
33. Stofetz de Cura veteris Ecclesie circa libros sacros N. T.















the scale towards document



validen Angaros deriuemus, facile
 mus *Angelos* ab eadem esse dictos,
 ἄγγαρος non multum differre. Cum
 nuncios eiusmodi inter primos
 t *angari* ab iis, et *angeli* ab eodem
 unt. Eisdem autem *συνονύμῳ* ita
 , *SVIDAS* in *Lex.* agnoscit sub voce
 ribens: ἔτως ἐκάλεον οἱ Περσαι τῆς βασι-
 Et vtrumque nomen, ita pergit
 d alias gentes manauit, ita tamen,
 nomen, nescio quo fato, magis
 dditum fuerit, et *angarorum* pro fo-
 nunciis, qui alias ad seruitium re-
 confueuerant, vsurpatum. Certè
 ioque vocem ἄγγελος, ἡσκη scribit esse

§. XXV.

em haec omnia, quae magnus ille
 heic in medium protulit, pro mera
 habenda sint, atque adeo non nisi
 n prae se ferant; id tamen recte con-
 e licebit, vocabulum τῶν ἀγγέλων la-
 quam vt solis spiritibus coelestibus,
 n primario, tribui debeat, cum nec
 illi,

2
2
31
33
4